



DISPUTATIO

483

DE PIGNORIBUS
ET HYPOTHECIS:

24.

XX

1625, 3. ~~1625, 3.~~

QUAM

DIVINA FAVENTE
gratiâ,

IN INCLYTA ARGENTORATEN-
sium Academia,

PRÆSIDE

Amplissimo & Consultissimo Viro,

DN. GEORGIO DAVIDE LO-
CAMERO, U. J. D. ET P. P. PRÆ-
ceptore & fautore suo colendo,

*Publici & solennis exercitiî
causa propositæ*

M. JOSIAS RIHELIIUS
Argentinenſis:

*Die Junii horis à 7. antemeridianis
in Auditorio majori.*

ARGENTORATI,
Typis RIHELIIANIS.

M. DC. XXV.

8



V I R O
NOBILI, AMPLISSIMO, ET
Consultissimo,

DN. JOANNI FRIDERICO
Schmidt/ JC. Inclytæ Argentoraten-
sium Reipubl. Consiliario & Advoca-
to dignissimo.

UT ET
REVERENDO, CLARISSI-
mo & experientissimo Viro,

DN. DANIELI RIXINGERO,
philosophiæ ac Medicinæ Doctore ex-
cellentissimo, Collegii Thomani De-
cano spectabili, Logices ac Metaphy-
sices in Universitate patria Professore
acutissimo.

*Dominis Patronis, Promotoribus & fautoribus
suis reverenter colendis, hanc de pignoribus
dissertationem, in debita observantiâ si-
gnum, & sui commendationem O.D.D. Re-
spondens.*

M. JOSIAS RIBELIUS Argentinenfis.

Ad Dn. Respondentem.

487.

AN tibi Terrigenis penitus consumpta domandis,
Jupiter, aut cur nunc fulmina sæva silent?
Rosane continuâ ferrugine vincla Promethei?
Nunc ubi quæ præpes viscera rodit avis?
Illi tentarunt superas conscendere ad oras
Fortiter, æthereâ pellere teque domo,
Hunc quia subductum superiorum sedibus altis
Ignem terrenis intulit arte malâ.
Sunt qui non multis congestis montibus alta
Scandunt, sed libris cælica tecta petunt
Hos & avis comedet? pelles ne hos fulmine tristi?
Falleris: hi faciunt jussa tremenda Dei:
Pelleret hos Satanus si posset fraude malignâ,
Atque ejus servi, servat at hosce Deus,
Injustâ quoniam Satanam spoliare bilance
Tentant, quâ causas pensiculare solet,
Et sumunt legum lances ac jurgia pendunt,
Et justè trutinant dicta q; & acta virûm.
Ultimus hos inter non es, perdocte **R I H E L I**
His pulchris ausis annumerandus eris.
Perge, quod ingressus, stadium decurrere, non te
Arduus impigrum terreat iste labor,
Ut possis tandem patriæ decus esse Coronæ,
Solamenq; reis, subsidiumq; bonis.
Non tibi terrori Satanus, & cuncta malorum
Türba sit, auxilio cùm velit esse Deus.

*Amica gratulationis ergò adposuit,
JACOBUS HÜNEKEN Bremensis
Saxo.*

144
Adm. Respondentium

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or date.



Auspice Deo:

DE PIGNORIBUS ET HYPOTHECIS.



Ignoris verbum, in usu juris, quo de securitate rerum creditarum agitur, interdum speciale est, interdum generale.

2. Speciale est, quando usurpatur de re, praesertim mobili *l. plebs est 238. §. pignus 2. ff. de V.S. speciali contractu l. 1. §. ult. ff. de pact. §. ult. Instit. quib. mod. re contrah. obl. ad creditorem translata: l. si rem alienam 9. §. proprie 2. ff. de pign. act. & opponitur hypothecae in specie, quae dici solet de re, praesertim immobili d. l. 238. §. 2. de V.S. nuda conventionem §. item serviana 7. in fin. Instit. de action. aut alias citra contractum, exempl. l. Lucius Titius 12 ff. de alim. leg. junct. l. verba 20. ff. de V.S. creditori quidem obligata, sed tamen possessione tenus penes debitorem retenta d. l. 9. §. 2. de pign. act.*

3. Generale est, quando & de pignore, & de hypotheca specialiter sic dictis, usurpatur, & intelligi potest. *exempl. l. 1. pr. & §. 1. ff. de pigner. act.*

4. Qui duplex loquendi usus, & in verbo hypothecae apparet, *ex d. §. 7. Instit. de action. & l. res hypothecae §. inter pignus 1. ff. de pignor. l. Pomponius §. ult. ibi, res hypothecae data ff. in quib. cau. pig.*

5. Suntque ambo ista verba, tum in generali, tum in speciali usu, aequivoca. Nam latet communiter in utroque ista significatio prima, quod iis denotetur res pignori hypothecae data. *t. de distract. pign. & hypoth. l. res hypothecae §. ult. ff. de pignor. & ista secunda; quod iis significetur jus, seu nexus & obligatio pignoris hypothecae. rubr. in quib. cau. pign. vel. hyp. tac. & rubr. quib. mod. pign. solv. & praeterea specialiter in verbo pignoris ista haec tertia, quod eo designetur contractus pignoris l. 1. §. ult. ff. de pact.*

A

8



6. Nos, in hac disputatione, pignus & hypothecam promiscuè quidem & generaliter usurpabimus; sed tamen ut inscriptio (quæ designando pignori, quatenus id inter contractus refertur, ineptè præfigeretur.) subindicat, ad secundam præcipuè significationem verba dirigemus. *add. infr. § 47.*

7. Estigitur pignus, jus in re, pro securitate debiti, creditori competens.

8. Dividitur autem tribus præcipuè modis: primò ratione causæ efficientis *ut §. 10.* deinde ratione modi, quo causa ista agit *ut §. 12.* & denique ratione materiæ seu subjecti *ut §. 22.*

9. CAUSA EFFICIENS pignoris est varia: dependet enim id vel ab ipsa lege; quando nimirum ea, circa negotium inter aliquos contractum, vel quasi, ita disponit, ut inde creditum sub pignore quodam constituatur: vel à voluntate & facto hominis; quando ad hoc, ut sub pignore sit creditum vel debitum, requiritur ut conventio utriusque contrahentis; aut dispositio debitoris, ejusve auctoris, aut denique Magistratus auctoritas interveniat.

10. Unde quadruplex est pignus: I. legitimum, de quo §. 13. II. Conventionale: de quo §. 15. III. Testamentarium: de quo §. 16. & IV. Prætorium de quo §. 17.

11. Modus verò est iste; quod pignus constituatur aut expressè, quando nimirum hoc ipsum agitur, & vel verbis vel literis, vel alio quodam facto declaratur ut sit pignus §. 15. & duab. seqq. aut tacitè, quando videlicet ex tacita aut præsumpta contrahentium, etiam ipsius debitoris voluntate; vel etiam præter aut contra debitoris voluntatem, sanctione legis, pignus constituitur. §. seq. 13.

12. Unde divisio pignoris, quod sit vel expressum; ut conventionale, Testamentarium & Prætorium, vel tacitum, ut legitimum; evidenter promanat.

13. Legitimum & tacitum pignus consequuntur I. Locator, in rebus in vectis, illatis, in prædium urbanum. *l. eo jure 4. ff. in quib. caus. pign. tac.* II. Idem in fructibus prædii rustici *l. in prædiis 7. ff. eod.* III. Pupillus & personæ similes, in bonis tutoris vel curatoris. *l. pro officio 20. C. de admin. tut.* IV. Idem pupillus in rebus

bus pecuniâ ipsius comparatis, & alii traditis *l. sed si 3. pr. ff. de reb
 eor. V. Mulier in bonis mariti, pro bonis suis paraphernalibus,
 in domum mariti importatis l. ult. vers. sin autem C. de pact. conv.
 tam sup. dot. VI. Liberi in bonis matris iterum nubentis, pro
 bonis paternis, morte Matris ad ipsos perventuris *l. hac edicta-
 li 6. s. omnibus 2. C. de sec. nupt. VII. Idem in bonis patris, ad
 secundas nuptias transeuntis, pro bonis maternis, mor-
 te patris ad eos perventuris l. si quis prioris 8. s. in illo etiam 4. C.
 d. t. VIII. Privigni in bonis vitrici, pro eo, quod mater secun-
 do nubens, ex tutela antè gesta, eis reliquum debet. *l. pen. C. in
 quib. caus. pign. tac. IX. Maritus in bonis ipsius, qui dotem pro-
 misit, nec dum tamen solvit aut præstitit. l. un. s. & ut plenius 1. C.
 de rei ux. act. X. Uxor in rebus mariti pro restituenda dote d. l.
 un s. 1. XI. Eadem in rebus ipsis dotalibus *l. in rebus 30. C. de jur.
 dot. XII. In rebus propter nuptias donatis Nov. 109. c. 1. XIII.
 Legatarius & fideicommissarius, in bonis hæreditariis, pro ipso
 legato aut fideicommissio *l. 1. C. comm. de leg. XIV. Hæres in bo-
 nis legatarii, cui sub conditione viduitatis legatum est datum,
 in casu quo is legato percepto, conditioni non stetit. Nov. 22. c.
 44. vers. si verò transire. XV. Is qui ad refectionem ædificii cre-
 didit *l. 1. ff. in quib. caus. pign. tac. XVI. Fiscus, non tantum ex
 causa primipili, *l. satis notum 4. C. in quib. cau. pign. tac. & tributo-
 rum l. 1. C. d. t. sed & ex aliis contractibus l. 2. eod. XVII. Is qui
 merces exvehendas conduxit, in ipsis mercibus, pro vectura. *l.
 Celsus 5. in pr. ff. ad exhib. junct. l. hujus 6. s. ult. (ubi hoc exemplum,
 cum aliis, in quibus causa taciti pignoris indubitata est *l. 3. ff. in
 quib. cau. pign. tac. conjungitur) ff. qui pot. in pign. XVIII. Is qui
 aliquem ab hostibus redemit, in ipso redempto, donec pretium
 restituatur. *l. postliminium 19. s. sic is qui 9. ff. de capt. & post revers.
 XIX. Is qui gratuitam dedit pecuniam mutuam in fructibus rei
 pigneratæ & traditæ *l. cum debitor 8. ff. in quib. cau. pign. tac. cum l.
 3. C. eod. XX. Argentarii, ex contractibus suis cum alio celebra-
 tis. *Edict. Just. 7. c. 3. XXI. Ecclesia in bonis Emphyteutæ, si is per
 biennium canonem non solverit, aut si rem deterioraverit.
 Nov. 7. c. 3. s. 2. ibi. ejusque res.************

14. Non idem tributum dicemus (quod tamen nonnulli tē-

tant) I. Locatori in rebus in prædium rusticum illatis invec-
tis d. l. 4. in quib. cau. pign. tac. l. si non inducta s. C. eod. II. Nec ei, qui ad
reparationem navis, aliusve rei pecuniam credidit. C. I. A. lib. 20.
tit. 2. §. 8. III. Nec filiofamilias in bonis patris, pro securitate
bonorum adventitiorum, à patre administratorum l. cum opt. 6.
§. non autem 2. l. ult. §. sin autem 4. vers. hoc procul dubio C. de bon. qua.
lib. IV. Nec omnimodo, sed cum distinctione quadam, venditori
in re vendita, pro pretio nondum soluto l. Julianus 11. §. offerri
13. ff. de act. empt. & Nov. 136. c. 3. circ. fin.

15. Conventionale pignus constituitur, vel traditione ad
conventionem accedente, speciali contractu: §. ult. Inst. quib.
mod. re contrah. obl. l. 1. ff. de pign. act. vel conventionem nudâ §. item
serviana 7 circ. fin. Instit. de action.

16. Testamentarium hic dicitur, de quo Testator expressè ca-
vit, ac ut id pro securitate alteri competat, constituit. l. non est
mirum. 26. §. ult. ff. de pign. act. l. Lucius 12. ff. de alim. leg. l. cum hi 8. §.
si uni 15. ff. de transact.

17. Prætorium est, quod jussu & auctoritate Prætoris seu
Magistratus inducitur l. 2. C. de prator. pign. & rursus est vel Ju-
dicialis, quod ex causa judicati constituitur t. t. C. si in cau. jud. l. si
ex causa 9. pr. ff. de minor. Vel Prætorium in specie, quod ex alia
quavis causa, per missionem in possessionem contingit. exempl.
l. qui legatis 5. C. ut in possess. leg. l. misso 12. ff. pro empt. l. prator ait 7.
pr. vers. eum cui ita ff. de damn. infect. l. 1. & pass. ff. quib. ex cau. in pos-
sess. Quanquam hoc posterius, nec definitionem, nec alia pigno-
rum attributa propriè dictorum admittat; nec ipsum adeo pi-
gnoris nomen omnimodò mereatur: facit l. si finita 15. §. si quis
damni 30. ff. de damn. infect. adeoq; & sine reprehensione hic ne-
gligi possit.

18. Pertinet porro ad causam efficientem etiam personarum,
quæ pignus (conventionale præsertim) constituere, & quibus
id constitui potest, consideratio.

19. Constituere autem id possunt, omnes & soli illi, qui alienâ-
di potestatem habent. facit l. ult. C. de reb. alien. nō alien. l. ul. C. si al. res.
pign. Qui autem sint illi, alterius & generalioris tractationis est.

20. Sic & constitui id potest, omnibus & solis illis, qui con-
trahe-

trahere & contrahendo obligationem (quam hic res pignori hypothecæve data sustinere intelligitur. *rubr. ff. quæ res pign. vel hypoth. dat. obl.*) acquirere possunt. Qui & ipsi qui sint, ex alia & generaliori doctrina est hauriendum.

21. MATERIA seu res, quæ pignori dari, vel hypothecæ esse possunt, sunt omnia & sola illa, quæ ipsius debitoris ac in commercio sunt, & alienari possunt *l. qui filios 6. C. quæ res pign. oblig. l. sed & 9. §. 1. ff. de pign. d. l. ult. C. de reb. alien. non alien.* Nisi ob specialem aliquam rationem, eorum capio prohibeatur. exempl. instrumentorum rusticorum, & c. *l. executores 7. & seq. C. quæ res pign. obl. Nov. 33. & duab. seqq.* aut conventio super iis minus rata esse jubeatur, exemplo spei præmiorum, pro coronis athleticis pensitandorum *l. spem eorum 5. C. quæ res pign. obl.* aut alias executio eorum difficilior sit, exempl. servitutum urbanarum *l. si is qui 11. §. ult. ff. de pignor.* Quæ autem res alienari possint vel non, itidem, aliis & generalioris est tractationis.

22. Occurrit verò hic ista differentia, quod aut omnia debitoris bona pignoris nexui subjiciantur: quæ hypotheca dicitur generalis: aut nominatim aliqua tantum; quæ hypotheca specialis vocatur *l. 2. C. de pignor. l. quavis 13. ff. ut in possess. legat. l. si finira 15. §. ex hoc edicto 11. & seqq. ff. de damn. infect.*

23. Et conventio quidem generalis, etiam ad bona debitoris postea quæ sita extenditur *l. 1. pr. ff. de pignor.* si autem specialiter in re aliquâ collata sit conventio, & res illa neq; debitoris sit, neque ei debeatur; tunc licet postea ejus fiat, pignoris tamen causa non omnimodò convalescet. Sed distinguendum erit in primis, inter creditorem ignorantem & scientem. Illi enim convalescet pignus ex æquo & bono facilius, & cum contra debitorem, & qui ab eo causam habet, tum contra alios, sive de persecutione, sive de retentione ejus quæ ratur, per textus ita & indistinctè loquentes *l. rem alienam 41. in pr. ff. de pign. act. l. cum res 5. C. si res alien. pign. l. si filiam 56. ff. ad SC. Trebell.* Huic verò convalescet pignus difficiliter, & utiliter tantum contra ipsum debitorem, & qui ab eo causam habet, sed tamen etiam quando quæritur de persecutione. *l. 1. pr. ff. de pignor. l. item si filius 7. §. sed & si filius 2. ad SC. Macedon. facilius, & interdum quo-*

que contra alios, quando quæritur de retentione d. l. 1. pr. l. si non dominus 14. ff. qui pot. in pign.

24. Quemadmodum nec ex eo solo, si vè directè, si vè utiliter convalescet rei alienæ pignus, quod dominus ejus, postea debitori oppigneranti hæres exitit t. rem alienam 41. vers. non est idem ff. de pign. act. sed si hæres in pignus à defuncto datum consenserit, tunc convalescet id utiliter d. l. 41. vers. sed si convenisset. l. si Tito 22 ff. de pignor. d. l. 5. C. si alien. res pign.

25. Sanè, sub cōditiōe l. si fundus 16. §. aliena 7. ff. de pign. itemque domini consensu (qui interdum & ipso facto satis declaratur l. Pomponius 5. §. ult. ff. in quib. cau. pign. tac.) aut ratihabitione l. aliena 20. ff. de pign. act. res etiam aliena pignori obligari potest.

26. Ad Materiam referri possunt, etiam obligationes & negotia, quibus pignus accedit, (accedit enim semper aliis, & ordine naturæ, ac cum effectu semper sequitur causam aliam, licet tempore interdum antecedit l. res hypothecæ 5. pr. ff. de pignor.) & circa quæ, ceu objecta versatur. Ea autem varia ac totidem penè generum sunt, quot obligationes & negotia (quæ tamen cum effectu, & vel naturaliter tantum obstringant l. 2 ff. quæ res pign. l. quasitum 14. §. ult. ff. de pign. arg. l. nisi dolo 129 §. ult. ff. de R. I.) reperiuntur. ut patet ex d. l. 5. pr. ff. de pignor. l. si rem alienam 9. §. 1. ff. de pignor. act.

27. FORMA pignoris ex ejus definitione apparet. supr. θ. 7. Μορφὴ γὰρ καὶ τὸ εἶδος ἐκάστου ἐστὶν ὁ λόγος ὁ τῆς οὐσίας. Arist. lib. 2. de gener. & inter c. 9. t. 51. καὶ εἶδος λέγεται τὸ τί ἦν εἶναι ἐκάστου Id. lib. 3. Metaph. c. 7. t. 23.

28. Accidit autem ei, quod aut purè sit contractum, aut sub conditione, vel die l. res hypothecæ 5. pr. ff. de pignor. Itemq; quod aut regulare sit, communem pignoris naturam habens theo. prox. seqq. aut pactis aliquibus, aliter atque aliter conformatum θ. 48.

29. Quæ autem sit communis illa natura, ex effectibus (qui causam arguunt, & quæ virtus in ea lateat, ostendunt) apparebit.

30. FINIS pignoris est, à parte debitoris, quò magis ei credatur;

atur; à parte creditoris, quò magis ei in tuto sit creditum §. ult.
Instit. quib. mod. re contrah. obl.

31. EFFECTUS pignoris ex juribus, quæ debitor in re pignerata retinet, & respectivè creditor consequitur, elucet.

32. Debitoris jus in re pignerata hoc est potissimum. I. quod is maneat ejus dominus *l. si dominium 9. ibi debitrice domina C. de pignor. etiam tùm, cum ea creditori est tradita l. pignus 9. C. de pignor. act. indeque & quæ dominorum sunt propria exercere possit: ut sunt rem vindicare; l. in rem 23. pr. ff. de R. V. junct. l. nec creditores 10. C. de pign. act. condicere furi l. 1. ff. de condict. furt. junct. l. si quis 4. §. si pignore 1. ff. de reb. cred. cum l. si pignore 54. pr. ff. de furt. Servitutum directò vindicare prædio oppignerato l. 2. §. 1. ff. si serv. vind. collat. l. ei qui pignori 16. ff. de servit. rei oppigneratæ dominium, ignorante licet, nec consentiente creditore, in aliù transferre d. l. 9. C. de pignor. l. si debitor. 12. C. de distr. pign. II. Intelligatur quoque ejus, etiam creditori traditæ possessor l. qui pignoris 36. ff. de acquir. possess. quantum sc. ad causam usucapionis attinet; cæterum non æquè ut ex 0. 35. patebit. III. Sentiat fructuum, ex re pignerata natorum commodum. l. 1. 2. 3. C. de pign. act. d. l. 9. ibi: fructuum ratione deductâ C. de pignoribus. & IV. deniq; jus luèdi pignoris perpetuum habeat. l. ult. C. de luit. pign.*

33. Creditoris autem jus, in duobus, obtinendo nimirum & distrahendo consistit.

34. Obtentio illa hoc continet, quod creditor possit non tantùm detinere rem pigneratam penes se constitutam, sed & apud alios existentem persequi, sicque obtentæ tandiu quandiu sibi non satisfiat, incumbere; exclusis omnibus aliis creditoribus chyrographariis l. eos qui 9. C. qui pot. in pign. nisi specialiter alii, potiores esse jussi sint: ut factum in eo, qui in funus credit l. impensa 45. & l. & si quis 14. §. 1. ff. de relig. itemque in domino soli, qui alteri superficiem concessit l. etiam 15. ff. qui pot. in pign.

35. Constituitur autem res pignerata penes creditorem ab eoque detinetur duobus modis: & vel ita, ut ab eo possideatur: quod fit quando ei à debitore est tradita l. servi nomine 16. ff. de acq.

acq. poss. si pignore 22. §. si prado 2. l. cum & sortis 35. §. ult. ff. de pign. act. junct. l. quod meo. 18. §. si furioso verb. transferas ff. de acquir. possess. & plurib. C. I. A. lib. 41. tit. 2. §. 9. aut quando creditor eam iudicio persecutus obtinuit l. si cum venditor 66. pr. ff. de evict. l. si debitor 10. in fine l. grege 13. §. si sub conditione 5. in fin. ff. de pignor. l. 1. §. 1. in fin. ff. de Salvy. interd. C. I. A. lib. 20. tit. 1. §. 23. vel ita, ut tantum detineatur: quod fit, quando quis rei servandæ aut aliã causã in possessionem mittitur l. 3. §. ult. ff. de acq. poss. l. 3. §. creditores 8. ff. uti possid. Quod ipsum tamen pignus verum non esse, jam supra §. 17. indicatum est.

36. Notandum verò, quod licet possessio illa, quã creditor rem pigneratam possidet, sit vera & propriè dicta possessio, conjuncta sc. cum animo sibi habendi; (quæ vera est possessionis proprietas l. 1. §. per procuratorem 20. l. quod nemo 18. ff. de acquir. possess.) non sit tamen præcipua & nat' ἐξοχὴν dicta possessio; cujusmodi est, quæ opinionem domini conjunctam habet. fac. l. 3. ff. de usurpat. Certè enim creditor non pro suo possidet, sed pro alieno l. quacunque 13. §. interdum 1. ff. de publ. in rem l. pignori 13. pr. ff. de usurpat. quæ possessio naturalis vocari potest exempl. l. ult. §. ult. ff. de precar. nullã adversus debitore vel usufructuionem, vel longi temporis præscriptionem pariens l. nec creditores 10. l. ult. C. de pign. act.

37. Competunt porrò creditori in pignore, maximè traditione accepto, etiam alia nonnulla, veluti quod possit id ipsum alii rursus oppignerare l. grege 13. §. cum pignori 2. ff. de pign. t. t. C. si pign. pign. dat. exigere cautionem damni infecti l. quod de creditore 11. ff. de damn. infect. utiliter vindicare servitutem l. ei qui pignori 16. ff. de servit. agere furti §. unde constat 14. Instit. de obl. quæ ex del. &c.

38. Persequitur autem creditor rem oppigneratam, eamque obtinet, pro diversitate causarum diversis actionibus. Nam de rebus coloni pro mercedibus fundi obligatis, ager actione servianã §. item serviana 7. Instit. de action. de alio quocunque, actione quasi servianã seu hypothecariã d. §. 7. (quanquam ista nomina interdum promiscuè usurpentur, ut notat C. I. A. lib. 20. tit. 1. §. 20.) Cum

20.) cum contra ipsum colonum debitoremve, tum etiam contra alios *l. si inter colonum 21. §. ult. ff. de pignor.* Experiri quoque poterit interdictio *t. t. ff. de salu. interd.* quod directo quidem locatori de rebus coloni, & contra ipsum colonum propositum fuisse videri potest: utiliter autem & ex interpretatione, etiam locatori contra inquilinum, & generaliter cuicumque creditori, contra quemcunque possessorem competit *l. 1. pr. & §. 1. d. t. l. 1. C. de precar. & Salu. interd. Wesenb. paratit. ff. d. t. n. 3.* Surrepto denique pignore contra furem etiam utetur condictione *l. si pignore 22. pr. ff. de pign. act.* non quidem furtiva arg. *l. 1. ff. de cond. furt.* sed generali & incerti: *l. & ideo 12. §. ult. eod. tit.* non tam rei ipsius, quam possessionis. (ejusque quod interest) intuitu instituta exempl. *l. haeres 21. ibi possessionem repetere ff. ad SC. Trebell. & l. qui exceptionem 40. §. 1. ibi, incerti condici ff. de cond. indeb.*

39. Opportunè hic monendum venit, quod in causa pignoris, nudà conventionem constituti, intersit, utrum id adhuc penes debitorem, an penes alium existat, & in id creditor actionem dirigere velit. Nam priori casu, liberum quidem est creditori, utrum actionem in rem, ipsum pignus persequi, an verò personali, debitorem convenire velit. *l. persequutione 24. C. de pignor.* posteriori, non licet contra possessorem extraneum, ante debitorem ipsum, ejusque fidejussores, mandatores & sponsores, conventos & excussos, actionem intendere. *Auth. hoc ita C. d. t. Nov. 4. c. 1. & 2.*

40. Accidit etiam, ut plures creditores simul idem pignus persequantur, & alii aliis potiores haberi velint. Quo casu quid statuendum sit, intricata est quaestio.

41. Respiciendum verò est in primis, utrum plures illi, eodem an verò diversis temporibus pignus acquirerint. Illic enim omnes simul admittentur ad persequutionem: *l. si fundus 16. §. si duo 8. ff. de pignor.* Hic verò, qui prior est tempore, potior erit jure *l. 2. in fin. C. qui pot. in pign.* Nisi posterior singulari aliquo jure praelationis gaudeat.

42. Gaudent autem jure praelationis, quo aliis etiam prioribus anteferendi & potiores habendi sunt. I. Mulier

B

184
ejusque liberi, in repetitione dotis *l. ult. §. 1. C. qui pot. etiam cum expressam anteriorem hypothecam habentibus concurrentes, d. l. ult. §. 1. ibi, contra omnes.* II. Fiscus, ex causa primipilari *l. utilitas 3. C. de primipil. 12. 63.* III. Qui ad rem sive emendam sive reparandam pecuniam crediderunt, aut alias pignoris causam salvam fecerunt, & pignus ipsi habent. *Nov. 97. c. 3. l. interdum 5. & seq. pr. & §. 1. ff. qui pot. l. in bello 12. §. si pignori 12. ff. de capt. & postl. revers.* Unde & prælationem adversus hypothecam generalem anteriorem defendemus venditori, qui in rei traditione, de pignore ejus, donec sibi pretium solveretur, convenit: quia scilicet hic fidem de pretio habendo, seu credendo, perinde facit, ac si emptori pecuniam, quâ ei res compararetur, credidisset: Itemque pupillo, cui perinde ipso jure in rebus pecuniâ ejus emptis, ac ei qui ad rem emendam pecunias credidit ex conventionem, pignus competit. *supr. §. 13. n. 4.* IV. Is cui merces horreorum, vel aræ, vel vecturæ debetur. *l. hujus 6. §. ult. ff. qui pot.* V. Qui ex instrumento publico hypothecam vindicat, cum eo, qui ex privato vindicaturus est, concurrens. *l. scripturas 11. C. qui pot. in pign.*

43. De ipsis porrò illis privilegiatis, si plures concurrant, tenenda est regula, quòd privilegiatus contra privilegiatum, non utatur privilegio suo, prælationis scilicet sed tamen temporis, ut qui eorum prior est tempore, potior etiam sit jure, uti docet *l. ult. §. 1. vers. exceptis. C. qui pot. in pign. & Nov. 91. c. 1.* Nisi specialiter cautum ostendi possit, ut etiam privilegiatus, alteri privilegiato præferatur: ut dispositum in eo qui ad emendam militiam, eo pacto credidit, & cum muliere dotem anteriorem repetente concurrat. *Nov. 97. c. 4.* item in fisco creditore, ex causa primipilari *d. l. 3. C. de primipil. 12. 63. vid. quoque C. I. A. lib. 42. tit. 5. §. 37.*

44. Quod si porrò creditor rem pignori subjectam semel sit nactus, defendere sese potest in ea detentione, cum per exceptionem, arg. *l. invitus 156. §. cui damus 1. ff. de R. I. tum etiam*

am interdum per interdictum ut t. t. ff. ne vis fiat ei qui in possess.
miss. l. 3. §. creditores 8. ff. uti possid.

45. Distractio vero rei pigneratae continet, quod si debitor in solutione cesseret, tunc creditor rem vendere, aut dominium ejus ipse impetrare possit. Estque hic effectus ad eò proprius pignori, ut ne pactione quidem expressa omnimodò impediri, aut ab eo tolli possit l. si convenit 4. & seq. ff. de pign. act.

46. Observandum autem primò, quod fieri id debeat bonà fide & solenniter: l. qua specialiter 9. C. de distr. pign. ac præcipuè primò, ut si præter generalem hypothecam res etiam certæ, aut simpliciter plures res sint obligata; tunc, si quidem ex certis & quibusdam, totum debitum redigi possit, ad venditionem reliquarum non procedatur d. l. 9. 2. ut denunciatio fiat debitori: l. creditores 10. C. de pignor. l. creditor 4. C. de distr. pign. eaque, in casu quo de non distrahendo pignore convenit, trina. d. l. 4. ff. de pign. act. 3. ut pignus proscribatur d. l. 4. C. de distr. pign. in eaque proscriptione relinquatur, & emptor expectetur, per integrum biennium l. ult. §. 1. C. de jur. dom. impetr. nec per interpositam forte personam creditor ipsemet sibi comparare rem tentet. l. & qui sub imagine 10. C. de distr. pign. ac tum demum, cum in biennio isto, res emptorem non invenit, creditor jus domini impetret: quin & ex tempore ejus impetrati, per integrum adhuc biennium in suspensio hæreat, ac debitori luitionem pignoris permittat. d. l. ult. §. sancimus 1. & §. si verò 2. 4. Ut sive creditor pignus venderit, sive ejus dominium impetraverit, superfluum, quod debitum excedit, ipsi debitori restituatur l. ult. C. de distr. pign. d. l. ult. §. sed si quidem 4. C. de jur. dom. impetr. II. Quod imputatio pignoris, ejusque pretii, fiat primò in usuras (si aliquæ debeantur) ac tum demum in sortem l. cum & sortis 35. ff. de pign. act. ac si id non sufficiat toti debito, tunc in reliquum, actio creditori salva maneat. l. quasitum 9. §. 1. ff. de distr. pign. l. hypothecis 3. C. eod. III. Quod emptor pignoris, jure con-

stituti, & sic venditi ac traditi fiat dominus : *l. qui à creditore*
18. C. de distr. pign. Si autem res oppignerata fuerit aliena, &
de evictione quærat, tunc distinguendum, utrum creditor
eam vendiderit simpliciter ; an verò jure creditoris seu pi-
gnoris. Priori enim casu, creditor de evictione tenebitur,
nisi aliud convenerit : ut patet *ex l. rescriptum 12. §. 1. ff. de distr.*
pign. & l. cum ea conditione 68. ff. de evict. Posteriori non te-
nebitur, *l. & si is 10. ff. de distr. pign.* nisi aliud convenerit aut
creditor dolo fecerit. *l. 1. 2. C. cred. evict. pign. l. ex empto 11. §.*
sententiam 16. ff. de act. empt. aut pignoris emptor pro evictione,
ad cedendam tantum sibi contra debitorem actionem agere
velit *l. in creditore 38. ff. de evict.*

47. Videri possit ad effectus pignoris referenda etiam
actio pigneraticia : de qua *lib. 13. ff. tit. ult.* Veruntamen, quia
ea magis ex contractu, quo debitori creditor, ex causa ac-
cepti pignoris obligatus est ; quam ex jure, quod creditur
in re sive ex conventionem, sive ultima voluntate, sive Præto-
ris autoritate habet (quæ significatio hujus est loci propria
supr. §. 6. & à priori longe diversa: ideòque tam in Instit. quam
in Digest. & Cod. palam & quidem toto tractatu, multif-
que libris interpositis separata.) oritur : & locum habet,
etsi jus pignoris revera nullum subsit : *l. si rem alienam 9.*
§. omnis 3. l. cum debitore 32. ff. de pign. act. ideò hic rectius o-
mittitur.

48. De pactis porrò quæ pignori nonnunquam adj-
ciuntur, & effectibus istis vel addunt aliquid, vel detrahunt,
tenendum, quod *quædam* eorum sint licita & permissa: qua-
lia sunt regulariter omnia arg. *l. 1. pr. l. juris gentium, 7. §. ait*
prater 7. ff. de pact. ac nominatim quidem I. ut creditor de-
bitore non solvente, possit propriâ autoritate possessionem
rei pigneratæ ingredi, indeque (si velit) auctoritate Ma-
gistratus possessionem adipisci *l. 3. C. de pign.* ubi authorita-
tem præsidialem requiri existimamus ad adipiscendam pos-
sessionem, non tam civilitatis, quam necessitatis causâ: ideò
scil.

scil. quod concessa ingrediendi potestate, non statim etiam possidendi potestas concessa videri debeat *fac. l. 3. §. ult. ff. de acq. poss.* Cæterum & ex conventionem ingredi, & rem auferre & possidere licebit. *l. pignoris causa 11. C. de pigner. act.* II. ut creditor loco usurarum fructus percipiat; quæ species pignoris *antixenois* dicitur *l. si is qui 11. §. 1 ff. de pignor. l. si pecuniam 33. ff. de pigner. act.* & faciet inde creditor fructus pro usuris suos, etiam si i legitimum usurarum modum excedant *l. si eâ pactione 14. si ea lege 17. C. de usuris.* nisi specialiter convenerit, ut tantum fini legitimarum compensentur *l. 1. §. pacto 3 ff. de pignor.* quod secus est in *antixenois* tacita, *l. cum debitor 8. ff. in quib. cau. pign. tac.* III. Ne debitori pignus vendere liceat *l. si creditor 7. §. ult. ff. de distr. pign. & alia congesta in C. I. A. lib. 20. tit. 1. §. 14.* Quædam vero illicita & prohibita, veluti æquitati naturali, & pignoris substantialibus contraria; quale est in primis pactum commissorium *l. ult. C. de pact. pign.* Item ne creditori pignus vendere liceat *l. si convenit 4. & seq. ff. de pigner. act.*

49. CONTRARIA pignoris, sunt modi quibus ejus causa perimitur & extinguitur: quales sunt I. Si quocunque modo soluta sit ipsa obligatio principalis *l. in omnibus 43. ff. de solut.* excepto casu quo debitor ex obligatione principali conventus, præscriptione 30. annorum se tueri potest. Isto enim, principalis quidem obligatio soluta est, sed pignoris tamen persecutio, adversus debitorem adhuc amplius, & ad annum usque 40. durabit, *l. un. §. ad hac 1. C. de annal. except. l. 2. C. de luit. pign.* II. Si quocunque modo creditor jus pignoris remiserit. *l. 1. & passim C. de remiss. pign. C. I. A. lib. 20. tit. 6. §. 5.* III. Si res interierit. *l. sicut 8. pr. ff. quib. mod. pign. solu.* IV. Si jus creditoris ex antiquiore causa sit resolutum, *arg. l. nemo 54. ff. de R. I. l. lex vetigali 31. ff. de pignorib.* qua tamen in re ita distinguendum videtur, quod si resolutio juris, quod debitor habebat, contigerit præter aut contra ejus voluntatem, tunc etiam jus pignoris solvatur *d. l. 31. l. debitor 40. §. ult. ff. de pigner. act. l. si res 3. ff. quib. mod. pign. solu. l. ubi autem 4 §. sed & Marcellus 3. ff. de in diem addiet.* Sin verò processerit ex voluntate ejus, tunc pignus ea propter non

124
finiatur d.l.3. in fin. & l. seq in pr. ff. quib. mod. pign. solv. l. bovem
43. §. pignus 8. ff. de edil. ed. V. Si tantum temporis effluxerit,
quantum ad excludendam actionem hypothecariam sufficit.
Id autem pro diversitate casuum est diversum. Nam si agen-
dum sit contra ipsum debitorem ejusve hæredem, vel etiam vi-
vente adhuc debitore contra posteriorem creditorem, eumque
malæ fidei possessorem est 40. annorum l. cum notissimi 7. §. quã-
obrem, & §. sed cum 2. C. de præscript. XXX. vel XL. annorum: con-
tra alios & quidem malæ fidei possessores est annorum 30. d. l.
7. in pr. & §. 2. versic. ex quo autem. denique contra bonæ fidei
possessores annorum 10. inter præsentem, 20. inter absentes l. ult.
C. de O. & A. l. 1. & 2 C. si advers. credit. præscript. plures vid. in C. l.
A. d. lib. 20. tit. ult. §. 6.

50. An autem ut debitor, rem pigneratam possidens,
quadraginta annorum spatio, ejus à nexu libertatem acquirat
ne amplius jure pignoris à creditore vindicari possit; sic & cre-
ditor rem pigneratam possidens, eodem spatio dominium ejus
acquirat, ne oblato debito sui amplius à debitore queat, cõtro-
versa est quæstio. Verius autem, quod creditor juri offerendi
pignusque luendi, nullo tempore præscribat; tùm quod de-
bitum offerre & solvere, sit res meræ facultatis, cui præscribi
non potest: l. hac autem 6. ff. de servit. præd. urban. tùm quod quã-
diu debitum solutum non est, debitor de restituendo pignore
agere nõ possit. l. si rem alienam 9. §. l. omnis 3. ff. de pigner. act. inde-
que & nulla temporalis exceptio ei opponi queat l. un. §. ult. C.
de anal. except.

COROLLARIA.

I.

Religio, generaliter & absolutè considerata, rectè juri gentiũ
Radscribitur in l. 2. ff. de just. & jur. In specie verò, neq; vera ne-
que falsa, eò referri potest. Non vera; quia ea non est rationis na-
turalis. Animalis enim homo, non percipit ea quæ Spiritus Do-
mini sunt; Stultitia siquidem sunt, nec potest ea cognoscere. 1. ad
Cor. 2. v. 24. Non falsa: quia ea neque ex communi omnium ho-
minum ratione, neque ex omnium populorum consensu, ubiq;
locorũ similiter; l. 1. §. ult. l. omnes populi. 9. ff. d. t. verùm pro arbi-
tratu humano, alibi atq; alibi, aliter atq; aliter, cõstituta depre-
hendi-

henditur. Sed vera quidem religio Juris divini est. Deus enim annunciat verbū suum Jacob, Judicia & Iustitias suas Israel. *Psal. 147. v. 19.* Quod verbum, Magistratus assidue legere debet, ut præceptum *Deut. 17. v. 19.* indeq; & subditis suis imperare: exemplo *Regis Iosia lib. 4. Reg. cap. 23.* Falsa autem religio, ubicunque est, populi & reip. istius est propria, adeoq; magis juris civilis: *arg. d. l. 9. ff. de just. & jur.* juris autem non per se, sed respectu ejus quod esse debebat, sic dicti. *exem. l. pen. ibi, relatione scil. ff. eod. tit.* Frustra enim (seu inutili ac nulla religione) colitur Deus mandatis & doctrinis hominum. *Esaï. 29. v. 13. & Mach. 15. v. 19.*

II.

Vulgata, & in foro præsertim frequens, est mentio argumenti à contrario sensu; quod in jure fortissimum esse dicitur: *per l. 1. pr. ff. de offic. ejus cui mand.* nec tamen obtinere, quando textus est in cōtrarium. *Everh. in loc. arg. legalib. loc. à contr. sensu n. 4.* Quod autem sit illud, non omnes capiunt. Nobis locus argumentorū à contrario sensu specialis nullus est. Dicitur autem argumentum à contrario sensu, quando pronunciatum aut Testimonium aliquod simpliciter prolatum, quasi exclusivè prolatum esset, accipitur: adeoq; in subjectis aut casibus, ab eo, de quo sermo est, separatis, contrarium prædicati aut dispositionis intelligendum præsumitur. Sic *in l. cum prætor. 12. pr. ff. de judic. cum ex pluribus, unus judicare vetatur, cæteris id permissum videtur.* Ea scil. præsumptione, quasi unus iste accipiendus sit solus ac unicus: in reliquis verò contrarium prohibitionis sentiendum, h. e. permissio præsumenda sit. Sic *in d. l. 1. pr. de offic. ejus cui mand. ex eo quod lege Julia nominatim cavetur, ut is cui obrigerit publici iudicii coërcitio, possit eam, si proficiscatur mandare: colligitur, quod si non proficiscatur, etiam mandare eam non possit: perinde ac si dictum fuisset, quod possit eam mandare tantum in eo casu, si proficiscatur.* Quæ præsumptio subintelligendæ particulæ tantum, argumentum à contrario sensu est & esse perhibetur. Sic *in l. qui testamento. 20. §. mulier. 6. ff. qui test. fac.* ex eo quod mulier adulterii damnata, testis produci vetatur; per contrarium sensum, (seu argumento à contrario sensu) colligitur, quod mulier adulterii non damnata, testis produci nō vetetur. (adeoq; mulier regulariter testis esse possit. *arg. l. 1. §. 1. ff. de testib.*) Quod reip. *psa.*


psa idem est, ac si diceretur, pronunciatum simpliciter prolatū
h. m. *Mulier adulterii damnata testis esse vetatur*, intelligendū esse
quasi exclusivē prolatū h. m. *Mulier tantū ea, quæ adulterii damna-
ta est, testis esse vetatur. &c.* Quæ omnia nituntur eo fundamēto,
quod Arist. ponit *lib. 1. post. anal. cap. 10.* dum ei ἢ ἀπόφασις inquit
αἰτία τῆ μὴ ὑπάρχειν, ἢ κατάφασις τῆ ὑπάρχειν: ὁμοίως δὲ καὶ εἰ ἢ κατά-
φασις τῆ ὑπάρχειν, ἢ ἀπόφασις τῆ μὴ ὑπάρχειν, scil. αἰτία ἐστὶ, h. e. si ne-
gatio, causa negationis, (scil. est,) affirmatio affirmationis: (scil.
causa erit) Et similiter, si affirmatio affirmationis, (sc. causa est,)
negatio negationis: (scil. causa erit.) An autem affirmatio aliqua
affirmationis, & negatio negationis, vel contrā, causa sit, sæpē
dubitari contingit: ac sæpius præsumptioni locus fit, quod idi-
psum quod in subjecto aut casu ponitur, causa prædicati aut de-
cisionis haberi debeat; indeq; particula exclusivæ *tantū, solū, dū-
taxat, &c.* per argumentum à cōtrario sensu subintelligi possint.
Verumtamē, cū istæ sint meræ præsumptiones: præsumptionib.
autē locus non detur, quando aliunde de veritate cōstat *per text.*
in l. ult. pr. ff. quod met. cau. l. qui ad certum 14. ff. locati. ideo receptū
est, ut quā primū possit in contrariū adduci textus apertus, aut
alia ratio evidentior, tunc argumentum istud à contrario sensu
non obtineat. *exempl. l. 1. §. qui à me. 30. in verb. ab alio. ff. de vi & vi
ar. collato §. recuperanda. 6. ibi, licet is ab eo qui vi deiecit &c. Inst. de
interdict.* Et cavēdum diligenter, ne argumentū à contrario sen-
su agnoscat iis in locis, in quibus particula istæ exclusivæ ex-
pressim sunt additæ. In claris enim nō est locus conjecturæ *vulg.*
l. ille aut ille. 25. §. 1. ff. de leg. 3. Nec magis textus expressim exclu-
sivē loquēs, cedere debet textui aliud quid includenti; quā ali-
ud quid includēs, expressim exclusivē loquēti cōcedet: sed uter-
que potius salvādus, & apertior quidē pro thesi habendus, eiq;
oppositus alter conciliādus & concordandus erit. Quod ostēdi
potest *exēplo l. ult. §. ipsū autē filiū 5. vers. ipsis autē filiusfam. C. de
bon. qua lib. collatā l. pen. C. qui test. fac. poss.* Deniq; & in ipsis locu-
tionib. seu propositionib. exclusivē prolatis videndū, ut manea-
tur in iisdem comparationis terminis, nec secundum quid dicta,
quasi simpliciter dicta accipiantur. *exem. l. si duo. 13. §. idem Julia-
nus. 2. ff. de jurei. collatā l. ex furtiva 5. ff. de cond. furt.*


DEO GLORIA.

Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WDM





B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO
IGNORIBUS
HYPOTHECIS:

483

24.

~~1625, 3~~

QUAM
IN FAVENTE
gratiâ,

ACADEMIA ARGENTORATEN-
sium Academia,

PRÆSIDE

Maximiliano & Consultissimo Viro,

GIORGIO DAVIDE LO-

U. J. D. ET P. P. PRÆ-

& fautore suo colendo,

in & solennis exercitiis
causa propositis

JOHANNES RIHELIIUS

Argentinenensis:

in horis à 7. antemeridianis
in Auditorio majori.

ARGENTORATI,

RIHELIIANIS.

M. DC. XXV.

8

